Duplicat

Morbio 26 (85)

PHILIPPUS DEI Gratia Hispaniarum Utriusque Siciliae etc. Rex & Mediolani Dux etc. Nomine Egregiae Donae Margaritae Somaliae
minoris oblatae nobis fuerunt preces sequentes videlicet. Serenissime Rex, Superiore anno M. V. concessit atque dispensavit Fid. M. V. Ser. Donam Margaritam
Somaliam posse dare in dotem inaestimatam eius bona sita tam in Ducatu Mediolani, quam in agro Lauden. & alibi Ill.mo Don Michaeli Perez futuro
eius Viro, & etiam ad dationem arrhae, de qua in ipsa concessione fit mentio, modisque & terminis latius in ea contentis, modo ultra consensum tutorum & cura-
torum ipsius supplicantis accederet consensus duorum eius agnatorum proximiorum & sanguine iunctorum, demptis tamen Ill. Co. Antonio & Ludovico fratribus
& Horatio, & Camillo pariter fratribus omnibus de Cavalijs della Somalia, cum quibus lites vertuntur, & in eorum defectu totidem cognatorum proximiorum & sanguine
coniunctorum, & ut latius in eis litteris exhibitis constat. Caeterum quia nulli alij supp. agnati, quam dempti ut supra extant, cognatorum vero nullus
adsit, quam Ill. Co. Claudius & Georgius fratres Triultij, qui nunc ex causa nuptiarum ipsius Ill. Co. Georgij in confinibus agri Lauden. absunt, & tam breui
ad hanc Civitatem Mediolani non sint reversuri, procurator vero ad contrahendum matrimonium missus, usque ad illorum reditum expeditionem negotij producere nequit, Ideo
curatores Supplicantis & ipsa Supplicans coguntur denuo ad M. V. quae solet in similibus opportune providere, confugere. Supplicando ut praemissis attentis Illa
dignetur suis litteris patentibus concedere & dispensare ad recitatos contractus tuto & valide deveniri posse, modo ultra consensum ipsorum curatorum interveniant
duo vicini supplicantis per M. V. deputandi qui faciant ea quae dicti agnati supplicantis, & in eorum defectu cognati virtute dictarum litterarum facturi erant, & servata
in caeteris forma & dispositione earundem litterarum. Decernendo praedicta postquam sic ut supra facta fuerint valere, & tenere suumque effectum sortiri debere
perinde ac si cum debitis consensibus facta fuissent, eisque contrariari non posse ratione cuiusvis legis, statuti, decreti, vel ordinis contrarium disponentis, aut aliam
§. formam dantis, quibus M. V. hac in parte tantum derogare dignetur & ita sperat etc. §. Et cum dicta minor nullos, ut exponitur, habeat agnatos, nec
cognatos praeter dictos Egregios Co. fratres Cavalios in precibus nominatos, quibuscum lites habet, ac dictos Egregios Comites fratres Triultios absentes, per
has nostras concedimus, & dispensamus dictam minorem valide & tuto posse ad recitatos contractus iuxta formam allegatarum litterarum iam, ut fertur, concessarum
devenire cum interventu, & authoritate memoratorum curatorum suorum, ac consensu Sapientum Iurisconsultorum DD. Petri Barbonis Vicarij iustitiae, & Io. Baptistae
Brugorae dictae minoris Vicinorum qui apud Senatum nostrum habentur idonei modo iurent, & adversant prout in ipsis litteris dicitur, & in reliquis ad unguem
servetur earum dispositio. Declarantes ipsos contractus valere perinde ac si per dictam minorem cum interventu legitimi tutoris, seu curatoris facti fuisset,
allegatis in precibus contrarium disponentibus non attentis, quibus hac tantum in parte derogamus. In quorum fidem praesentes sigillo nostro munitas fieri & registrari iussimus.
Datum Mediolani xxiiij. Aprilis MDLxxxix

Facius

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1880616483-14/fragment/page=0001

1589 April 24

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Morleb 26 (85)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1880616483-14/fragment/page=0002